

1785.

19. Pohlus, Amst. annus Historicus: De canoniceis protestantibus successioneis in res uerbi les maternas ex iurib. .
20. Puchmannus, Ios. Lud. Ern., pac. jas pro cancellarius: (De quenda in officiori testamento fratribus uterius hand concedenda). Programma, quo sollempnia in au-
guralia Cantabrii Augusti Gautheri in dicit.
21. Puchmannus, Ios. Lud. Ern., pac. jas pro cancellaria-
rius: (Miscellaneous ad jas portinentalium
specimen II). Programma, quo sollempnia inauguralia
Tilii Gottlob Guttenhor. . . . in dicit.
22. Puchmannus, Ios. Lud. Ern.; pac. jas. pro cancellarius:
(Miscellaneous ad jas portinentalium specimen I)
Programma, quo sollempnia inaugralia Benjacum
Coroli Henrici Heydemundi in dicit.
23. Puchmann, Ios. Ludorius Insterus, pac. jas. pro
cancellarius: (An et quatenus iuris cum, qui pa-
ret, et pena excusat eam re minuat?).

1785.

24. Pöltmann, Ios. Lud. Dr. iur. pro loco praeceptus.
Livid. (Non numero doctorum prudentia legis-
latorum minuendo seu de remedio nonnullis
arts frequentium bonorum ceteris et cres-
centum concursu). Programma, quo soll esset
in angaria Chrysostomi Galliob Marci inedit

25. Pöltmann, Ios. Lud. Dr. iur. De Lubrico iudic' o.

26.

26. Rau, Christianus: Elector saxonie juris
saxonici defensor.

27. Romer, Carolus Henricus, &c: De iuribus
magistratis etiamque spectibus.

28. Roemig, Carolus Gallus: Monetatio et libelus
De priore lego Anglorum et Normannorum.

29. Rammell, Balloes. Frider: De comparatione legum
Romanae cum Graecorum institutis.

1785

30. Legerus, Ioh. Theophilus: De comitiis Palatinis
Taxonial
31. Wenzl, Fridericus Aug. Guicciardus: De concessione
in signum in imperio Romano-Germanico. Pro-
gramma, quo ad arcendas orationes in meo-
rum Henrici Ridelii et Syferti invitat.
32. Wenzl, Fridericus Augustinus Guicciardus, pac. phil.
procancellarius: De concessione insignium in
imperio Romano-Germanico. II. Programma, quo
philosophiae candidatis diem petitionis in-
dicat.
33. Winckler, Carol. Gorpi, de, pac. iur. procancellarius:
Adnotatio IV, V et VI ex adversariis iuriis juri-
dicarum. Programma, quo solemniter mag. Caroli
Friderici Conradi indicat.
34. Winckler, Carol. Gorpi, de, pac. iur. procancellarius:
Problema iuridicum: De aboleunda restitutione
in integrum ex causa actatis. Programma, quo

solemnis inaugura^{re} alia Coriol. Galliukii Raemigii
in dieis.

35. Vinckler, Carol. Gord. de : Adversaria juri
judicarii inservius quae concursum credit
Forum

der preußischen / Universitätsbibliothek zu Halle (Saale) ex
1717

1785. 19.

DE

**CANONICIS PROTESTANTIVM
SVCCESIONIS IN RES VTENSILES
MATERNAS EXSORTIBVS.**

295

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO FRIDERICO
POHLIO**

S V P R E M A E C V R I A E E T C O N S I S T O R I I E C C L E S .
A D V O C A T O , C I V I T A T I S L I P S .
S E N A T O R E

A. D. VIII. NOVEMBER. A. O. R. M D C C L X X X V .

H. L. Q. C.


D I S P U T A B I T

IOANNES CAROLVS FALCKE,
LIPSIENSIS.

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

IN SICILIA VITAE ROMANORVM



INSTITVTI RATIO.

Constat inter omnes qui vel leuiter iuris patrii scita degustarunt, foeminas moribus Saxonum, exclusis masculis, in res vternales proximae cognatae ita succedere, ut si a quorundam locorum statutis recesseris, ne filii quidem, nisi clericis sint, huic successionis participes habeantur. Cum enim hi ex iuris prouincialis saxonici mente, si ius eorum succedendi spectet, eadem cum filiabus conditione vtantur, non potuit non fieri, quin vna cum sororibus ad successionem in bona matris vternilia vocarentur. Quod quidem clericorum singulare ius, et si vniuerse sumtum, ob claram, quo nascitur, iuris saxonici sanctionem adeo non a quoquam in dubitationem vocatur, ut potius quicunque de rerum vternilium indole atque iuribus exposuerunt, clericos sine omni discrimine, sive pontificiorum sacris, sive Augustanae confessioni addicti sint, eo hodie gaudere, vnamini consensu contenderint; variae tamen quaestiones super hoc iure passim motae fuerunt, quae Ictis largam in vtramque partem disputandi materiem praebenterent. Ut vero alias quaestiones de quibus inter legum interpretes hodie fere conuenit, mittam, quaesitum etiam fuit: vtrum Canonici Protestantium iure succedendi in bona vternilia materna hodie vtantur, nec ne? In qua quidem quaestione definienda Icti in duas partes abierunt, cum plerique, veluti IVST. HENNING. BOEHMERVS^{a)}, IOH. LAVR. FLEISCHERVS^{b)}, MART. LANGIVS^{c)}, GOTHOFREDVS BARTHIVS^{d)} et GOTTLÖB AVG. IENICHEN^{e)} aliquie, eam negandam, quidam vero, et in his imprimis b. CAR. FERD.

A 2

HOMME-

a) in *Iure eccles. Protest.* Tom. II. Lib. III. Tit. I. §. LXVII. Geradam maternam §. 22. p. 18. Lips. 1708. 4.

b) in der *Einl. zum geistl. Rechte Lib. II. Scđt. XXII. §. 6.* p. 603. qui liber Halae 1729. 4. prodiit. Gerae Cap. II. §. 25. p. 97. Lips. 1721. 4.

c) in *Diss. de successione clericorum in Geradam anniae maternae,* §. VIII. Lips. 1730. 4.

d) in *ausführl. Berichte von der Ge-*

rade Cap. II. §. 25. p. 97. Lips. 1721. 4.

e) in *Diss. de clericis nepore exule*

HOMMELIVS^f), vir de iurisprudentia immortaliter meritus, ac qui hunc nouissime secus est, CL. IO. ERN. IVST. MÜLLE-RVS^g), eam affirmandam censuerint. Quod cum intellexisse, coepi equidem, quae ab utraque parte afferuntur, argumenta sub examen vocare, ac tandem, rationibus utrinque diligenter perpensis, in eorum sententiam concessi, qui illud singulare clericorum ius ad Canonicos Protestantum haud extendi posse contenderent. Cum vero, quantum equidem scio, nemo hucusque hanc quaestionem, in ipsis rerum argumentis interdum obuiam, data opera excusserit, hac scribendi opportunitate mihi oblata, eam paulo curatius tractare constitui, ita, ut paucis de clericorum in geradam maternam successione in viuersum praemissis, primum sententiam, quam defendam suscepi, argumentis fulcirem, deinde vero rationes, quibus contraria sententia defenditur, breuiter diluferem, ac denique pauca de successione Canonicorum in res expeditorias adiicerem.

§. I.

Brevis de successione clericorum in Geradam maternam disputatio instituitur.

De clericorum igitur in res vniuersiles maternas successionem acturus, cum de ea ex instituto exposuerint, MART. LANGIVS^h, TOB. IAC. REINHARTHVSⁱ), et CHRIST. HENR. GOTTSCHALDV^j), auctum profecto agere viderer, si totum hoc argumentum repetere atque exhaustire iam vellem. Liceat itaque mihi, ut viam scilicet ad quaestionem propositam mihi muniam, omnem hanc clericorum successionem paucissim tantum, ac veluti per indicem attingere. Quae quidem dum molior, noio longus esse in explicanda rerum vniuersum, quas vulgo Geradam vocare solent, indole atque notione: quem enim fugit, per eas intelligi, omnes res mobiles ad mundum et ornatum muliebrem pertinentes et in foeminae

F) in Rhspf. Quaest. Obs. CCCXI. p. 423; ed. III. et in Pereinenz und Erlöscherungsregister, in der Eml. §. 55. p. 60. et sub voce: Geistliche p. 175. ed. nou.

Lipsiae 1785. prodit, Tom II. sub voc. Canonicus, n. 7 p. 843.

h) in Diff. supra laudata.

i) in Diff. de successione clericorum in Geradam. Erf. 1734. 4.

k) in Sched. de successione clericorum in Promtuar, iur. nouo, quod rum in Geradam. Schneebergae, 1760. 4.

foeminae possessione constitutas? nec multis, qui clerici dicantur,
 docebo: clericos enim ex iuris canonici principiis esse omnes eos,
 quibus ab ecclesiis potestas data est, peragendi functiones quae mi-
 nisterio verbi diuini insunt, adeo notum est, ut nec fugiat eos, qui
 vel prima iuris canonici principia haud ignorant; sed potius statim
 ad rem ipsam progrediar. Debet vero clericorum in bona vrensilie
 successio originem suam iuri prouinciali saxonico, quod Lib. I. art.
 5. si codicem verustum Lipsiensem a GAERTNERO editum sequa-
 ris, ita sancit: *Der pfaffe nimt glichen teil der swester in der muter*
gerade und glichen teil deme bruder an eigene und an erbe. Iam si ratio-
 nes quaeras, quibus moti veteres Saxones tam opimum priuilegium
 clericorum ordini indulserint, tres in primis commemorari depre-
 hendes. Ac primam quidem glossa germanica ad Lib. I. art. 5.
Spec. saxon. et ad *Ius Weichbildicum*, vel vti rediūs vocatur, *Ius sca-
 binorum Magdeburgensum Art. 57.* nobis reddit, quippe quae cle-
 ricos beneficio illo in praemium precum pro aliis fusarum gaudere
 pronunciat. Verum hanc rationem magis piam quam veram et ad-
 aquatam esse, et dudum viri docti animaduerterunt, et vel inde pa-
 ter, quod ius prouinciale saxonicum tantum clericos nondum bene-
 ficio ecclesiastico, quod praebendam vocare solent, praeditos pro-
 miscue ad successionem in Geradam maternam admittat, salario au-
 tem vel aliis redditibus instructos, si cum sorore nondum elocata con-
 currant, excludat, cum tamen hi, aequo ac illi, preces pro aliis
 fundere teneantur. Magis itaque adaequata et veritati consentanea
 videtur secunda ratio e veterum germanorum statu militari petita.
 Nimirum cum clericis omnis militia interdicta esset, neque adeo illi
 apparatum bellicum, qui olim non exigui erat pretii, ex hereditate
 paterna capere, nec in feuda succedere posse, aequum Saxones
 esse putarunt, si eos vna cum sororibus ad successionem in res vten-
 files maternas vocarent, adeoque dominum, quod exclusi a successio-
 ne in feuda et res expeditorias sentirent, hac ratione quodammodo
 pensarent. Neque denique iusto fundamento destituta est tertia ra-
 tio, quae clericis ideo hanc priuilegiatam successionem, de qua iam
 sermo est, indultam esse contendit, vt pauperes certisque redditibus
 destituti clerici hac rerum vrensilium accessione sustentarentur, si-
 mulque episcopi, ex iuris canonici placitis ad alendos eos, quibus



ordines concessissent, obstricti, hoc onere liberarentur¹⁾). Cum enim ius prouinciale saxonum clericos beneficiis sive praebendis instructos geradam maternam cum sororibus nondum elocatis diuide-re prohibeat, manifestum vtique est illud in largiendo clericorum ordinis rerum vtenfilium successione praecipue clericorum egenorum rationem habuisse. Sed de rationibus legis, haec dicta sufficiant. Iam de ipso hoc clericorum succedendi iure nobis differendum est. Ac primum quidem cum et ipsa Speculi saxonici verba nos doceant, et dudum GOTTL OB AVG. IENIC HEN^m), docte demonstrauerit, clericum neque in auiae, neque in sororis, sed in solius matris geradam succedere, non est, quod hoc multis probemus. Videamus potius, qui clerici bona matris vtenfilia capere possint. Quamvis autem clerici vox late pateat, adeo ut omnes, sive maioribus sive minoribus ordinibus initiati sint, comprehendat, hoc tamen loco ii tantum clerici intelliguntur, qui Presbyteri munere ornati sunt. Quod quidem clare indicant Speculi saxonici verba l. c. *Man en mac sagn zu eyne pfaffen her en sie geleret und gewihet, und mit scherne gezeichnet als ein pfaffe. e. in die gerade an ir stirbe.* Requirit itaque ius saxonum tria, nimur ut clericus sit doctus, ordinatus et tonsura capitis insignitus. Non sola ergo tonsura sufficit, sed ipsa ordinatio, secundum ritus ecclesiae romanae instituta, accedat necesse est, adeoque ii tantum clerici successionis in res vtenfiliis maternas capaces habentur, qui potestate sacrificium eucharisticum offerendi instructi sunt. Hinc omnes quidem Episcopi et Presbyteri, neutiquam vero Diaconi et Subdiaconi, multo minus minorum ordinum clerici hoc priuilegio gaudent, quippe qui, vti L A N C E L O T T V Sⁿ) ait, *non tam in statu clericali, quam de isto sunt,* diuer-

¹⁾ Olim quidem secundum Concilii Chalcedonensis placita nemo sine officio sacro in ecclesia obeundo, qui vnu ordinacionis titulus erat, valide posset ordinari, alias ordinatio plane irrita erat; cf. c. 6, *Cont. Chalcedon.* c. 2. D. 70. postea ramen, sed vni Franc. Duarenus de Sacris eccl. ministeriis Lib. I. c. 16. obseruat, magno cum eccliesiae derrimento, Ponsificum confi-

rutionibus inualuit, ut ordinatio sine certo ritulo facta non inutilida habereatur, sed is, qui eam instituisset, ordinatum tamdiu altere deberet, quamdiu certis redditibus, unde vivere posset, carerebat, vid. cap. 4. et 16. X. de Prabend.

^{m)} in *Dissert. supra laudata.*

ⁿ⁾ in *Inst. iur. can. Lib. I. Tit. 23. §. I. et Tit. IV. §. i.*

diuersoq[ue] plane modo ordinantur. Ceterum sicuti ex iuris canonici principiis omnes maiorum ordinum clerici matrimonia inire prohibentur, ita idem a Presbyteris in geradam maternam successu[is] obseruandum fuisse, glossa ad *Ius Weichb. Art. 57.* nos docet ^{o)}. Quamuis vero omnes Presbyteri successionis illius capaces existimantur, tamen quemadmodum ius saxonum prouinciale l. c. inter filias elocatas et nondum elocatas discrimen facit et filiam elocatam, quae cum nondum emancipata concurrit, a successione in geradam maternam excludit, ita etiam inter clericos qui ad certam ecclesiam vel aliud beneficium ecclesiasticum vocati sunt, et inter eos, qui his destituti sunt distinguit. Hi enim indistincte siue soror nondum elocata, siue iam elocata adsit, geradam maternam cum ea diuidunt, illi vero tum tandem in eam succedunt, si cum sorore iam elocata concurrant. En ipfa iuris prouincialis saxonici verba: *Die ungerade Sweſter en teilt nicht ir muter gerade mit deme pfaffen der Kyren oder phrunde hat.* Sic, vt hoc utar, Canonici romanis sacrifici addicati, si Presbyteri dignitate praediti erant, poterant quidem geradam maternam capere, sed qui praebenda fruebantur, tum demum, si soror iam elocata adesset, sin fecus, nihil capiebant. Denique quemadmodum clerici, notante CARPOVIO ^{p)}, nunquam res expeditiorias, ita nec geradam relinquunt, quamvis eam capiant, quod sequent Lib. I. Art. V. speculi saxonici verba clare indicant: *Von des pfaffen gute nach sine tote, ein nint man cheine gerade, wen iz iſt alle zerbē, was under im besfirbt.*

§. II.

eiusdem argumenti continuatio.

Cum vero, quemadmodum hucusque vidimus, ius prouinciale saxonum ad adipiscendas res matris vtensiles, in primis ordinationem secundum iuris pontificii praecepta peractam in clericis requirat, statim post sacrorum instauracionem saeculo decimo sexto coepit, quae situm fuit, an etiam ad clericos Augustanae confessioni

^{o)} verba glossae sunt haec: Bleibt fallen seyn. Dann da er ein Weib er aber nicht ein Pfaff, er mus die Gerade mit Recht wiedergeben, sonderlich der Niffel an die die Gerad solz geset. ^{p)} in Jurispr. for. P. III. Conf. 38. def. 39.

[decorative separator]

fioni addictos illa iuris prouincialis saxonici dispositio extendi queat². Diu super hac quaestione, vti ex BERLICO⁴⁾ et Consultationibus constitutionum saxoniarum¹⁾ pater, iuris saxonici interpretes disceptarunt, cum alii a militia armata ad coelestem concludentes, clericos euangelicos ad successionem in res expeditorias vocare cuperent, alii vero, reiecta illa concludendi ratione, eos successio-
nis in res vtensiles capaces esse existimarent; quorum quidem sententia, telle CARPOVIO l. c. tandem praeculuit. Hodie itaque extra omnem dubitationem positum est, clericos Protestantium, modo ad munus sacrum rite vocati, secundum normam in ecclesia, euangelica praescriptam ordinati sint, iure succedendi in geradam maternam vti, quamvis omnes illos ritus in ordinandis clericis apud pontificios adhiberi solitos, quos locus iuris saxonici, saepe laudatus, supponit, tanquam superstitionis er ab ecclesiae euange-
licae principiis abhorrentes repudiauerimus. Ac quem admodum apud Protestantes inter Episcopos, Presbyteros, Diaconos et Subdiaconos non amplius distingui solet, quippe cum omnes clerici aequali potestate verbum diuinum docendi et sacramenta admini-
strandi praediti sint, omnesque adeo qui ordinatione ad munus sacrum, quod obeunt, inaugуrati sunt, aequis iuribus fruantur, siue sint Superin-
tendentes et Pastores, siue Archidiaconi, Diaconi et Subdiaconi, ita etiam discrimen illud inter clericum beneficio ecclesiastico instrudum, et eo carentem, quod Lib. I. Art. 5. Spec. Saxon. occurrit, plane ces-
sat, tum quod, obseruante CARPOVIO⁵⁾, etiam filiae iam elo-
cateae hodie a successione in geradam non excluduntur, sed tantum, quea iam acceperunt, conferre tenentur, tum quod functio mini-
sterii apud Protestantes unus titulus ordinatiois habetur, adeoque nemo, nisi cui munus sacrum, cuius redditibus ali possit, demandatum est, ordinatur. Ceterum cum, vti supra a nobis dictum est, sola ordinatio clericos Augustanae confessioni addictos ad successionem in res vtensiles maternas, aptos reddat, facile apparet, omnes hac destitutos, quales sunt Doctores, Licentiati et Professores Theo-
logiae, aliquie, a iure succedendi, de quo iam verba fecimus, esse arcen-

q) in Concl. practic. P. III. Concl.
39. n. 68. 69.
r) Lib. II. P. I. quaest. 41.

s) in Iurisprud. for. P. III. Conf.
u. def. 13. cf. et Barthii ausführl. Be-
richt von der Gerade Cap. II. §. 7.

arcendos. Quamvis enim et hi plerumque facultate verbum diuinum praedicandi atque docendi gaudeant, tamen potestate sacramenta administrandi plane carent, adeoque clericis ordinatis nullo pacto possunt annumerari.

§. III.

Sententia, qua Canonicos Protestantium successionis in res utensiles maternas capaces esse negatur, argumentis fulcitur:
proponitur argumentum I.

His iam in vniuersum praemissis, age iam rationes quibus moti Canonicos Protestantium sacris additios, siue cathedralibus siue collegiatis ecclesiis adscripti sunt, a successione in res utensiles maternas arcendos esse statuimus, breuiter proferamus. Cum vero priuilegium quod Canonicis illis denegandum statuimus, quemadmodum ex supra allatis appetet, nemini nisi ei, qui vere clericus est, competit, operaе pretium fuerit, sententiae nostrae firmandae gratia, primum demonstrare, Canonicos illos parum accurate clericorum ordini accenserit, deinde vero simul probare, eos, si vel maxime clericorum iuribus gaudeant, tantum non omnibus illis requisitis carere, quibus clericos ad successionem, de qua nobis sermo est, aspirare cupientes, ex iuris prouincialis Saxonici mente instrutos esse oporteat. Sed de singulis videamus. Ad primum quidem quod attinet, et si plerique atque in his IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS^{t)} et IOH. GEORG. PERTSCHI-LVDOV. BOEHMERVS^{v)} aliique Canonicos Augustanae confessioni additios in clericorum numerum referunt, non defunt tamen alii, veluti Vir CEL. GEORG. LVDOV. BOEHMERVS^{v)} qui eos non improbabili ratione personis ecclesiasticis annumerent^{x)}, quorum quidem sententiae ut accedam, cum argumentis, quibus contraria opinio defenditur, facile possit responderi, inclinat animus. Ac primum quidem

t) in Iure eccl. Pret. Tom. II. Sect. III. Tit. III. §. 440. p. 327. ed. nou.

u) in Elem. iur. can. Lib. I. Tit. XXXV. §. 486.

v) in Princip. iur. can. Lib. III. B

x) personas ecclesiasticas stricte sic dictas differre a clericis, patet ex e. 12. de Elect. in 6. aliusque iuris can. locis. Cf. etiam van Eppen in Obs. ad Can. Gregor. X. Tom. IV. Opp. p. 129.

dem ut libenter largiar I. H. BOEHMERO caeterisque quilibet
sequuntur, exinde quod hodie plerique Canonici Protestantium tum
palatinis et ciuilibus, tum militaribus officiis fungantur ac laico ha-
bitu incedant, non statim sequi, eos clericorum ordine esse exi-
mendos, cum et apud Pontificios Canonici saecularibus negotiis se
immisceant, salua, qua vtuntur, clericorum conditione; id tamen
ei concedere haud possum, non obstatre sententiae ipsius hoc, quod
Canonici Protestantium ordines ecclesiasticos non suscipiant; saltem
ratio qua, ut hoc probet, vtitur, rem confidere mihi non videtur.
Dum enim dicit, ordines non unice clericum constituere, cum et
iam ipso inter Pontificios Canonici interdum nimis sero et plerum-
que tantum dicis causa illos recipere soleant, nondum, si quid vi-
deo, euincit, Canonicos ecclesiae euangelicae additos clericorum
classi esse adscribendos. Alia proposito res est ordinum receptionem
differre, alia vero eam nunquam appetere. Quod si enim vel maxime
verum sit, Canonicos pontificios sero interdum ordines recipere,
tamen ut vere recipiant adeo necesse est, ut qui in Collegium Capi-
tularium vel Canonicorum cooptari cupiant, ex iuriis can. principiis
necessario ordinibus minoribus, vel saltim prima tonsura, et si ad
iūs capituli, h. e. sessionis et suffragii, adspirent, ordine Subdiaconi-
natus initiati esse debeat¹⁾, cum contra ea Protestantium Canonici
illis ordinibus fine omni periculo carere possint, adeo ut, bene ob-
servante GEO. D. A. STRUBENIO²⁾ iisdem ne in mixtis qui-
dem capitulis ordinum defectus in exercendis iuribus sessionis et
suffragii obesse censeatur. Neque reliquis BOEHMERI argumen-
tis, quae sententiae suae tuenda causa assert, valde moueor.
Quodsi enim vrget, non eos tantum clericorum nomine contineri,
qui verbum diuinum doceant ac sacra administrent, verum eos et
iam iis annumerari, qui operis manu et corpore faciendis ecclesiae
inseruant, quid? quod in ecclesiae christianaee primordiis ne omnes
presbyteros quidem docuisse, sed quosdam rebus ecclesiae regun-
dis tantum praefuisse; equidem facile ei dare possum, non omne
clericu-

1) Cf. Arn. Corvinus de personis praefic. et Concil. Trident. Sess. 24. de
et benef. eccl. Lib. 3. tit. 2. §. 11. reformar. c. 12.
Itemque Clem. 2. de genere et qualit. 2) in recpl. Bedenken. Tom. I. N.
184. p. 473.

clericorum munus in docendo et sacris administrandis semper versari; id vero neutquam mihi persuadere possum, omnes eos, qui, vti ait, *simplex ministerium corporis in ecclesia peragant*, ideo inter clericos referri debere. Hoc enim si verum esset, sequeretur sane ut etiam dispensatores et administratores bonorum ecclesiasticorum, quos germanice *Kirchväter* appellare solemus, itemque altaristae et qui cum sacculo sonante eleemosynas in templis colligunt et id genus alii, clericorum numero haberentur. Quamuis igitur non negem, iure canonico inter clericos quosdam referri, quorum opera nunquam in docendo et sacra administrando versetur, eius tamen ratio non in eo querenda est, quod ecclesiae ministrant, sed quod ordinibus minoribus initiati et ad officium, quod in ecclesia obeunt, solemnni ritu constituti sint, quales sunt Ostiarii, Lectores, Exorcistae et Acoluthi. Iam vero cum Canonicci Protestantium nunquam ordines suscipere teneantur, non video, quomodo cum iis, qui vere ordines recipiunt, vlo modo possint comparari. Ultimum denique BOEHMERI argumentum, duolum ab eo quod quidam iuris ecclesiastici Protestantium interpretes aeditios adeo et ludimoderatores ordini clericorum accentent, non longa refutatione egere mihi videatur ^{aa)} dudum enim Ill. G. O. L. V. D. BOEHMERYS docuit, hos sensu plane improposito clericos vocari, omnemque huius opinionis errorem CARPOZIO ^{bb)} deberi, qui incongrue eos cum clericis minorum ordinum comparando, non sat accurate clericos et personas ecclesiasticas a se invicem distinxit.

Quae cum ita sint, facile, vti spero, mihi quilibet dabit, Canonicos Protestantium sine iusta causa inter clericos referri, sed posteriori iure personis ecclesiasticis annumerari. Quodsi vero Canonicci illi clericorum conditione non vntuntur, per se patet, priuilegia soli clericorum ordini concessa, quale est successio in bona matris vren-silia, iis plane esse deneganda.

§. IV.

Proponitur argumentum II.

Sed quamvis non contemnenda videatur ratio, qua iam vni su-mus, multo tamen grauorem et ad sententiam, quam defendimus,

B 2

confir-

aa) In *Principiis iur. can.*, Lib. I. bb) in *Iurispr. eccles.* P. I. dec. 75.
Tit. III. §. 88. in not. a. n. 10.

[decorative horizontal line]

confirmandam aptiorem esse putamus eam, quam nunc proferre animus est. Hac enim ut et iis sententiam nostram probemus, qui Canonicos Augustanae formulae additos clericorum ordine excludere haud sustinent, operam dabimus. Breuiter nempe docebimus, Canonicos illos, si quis vel maxime eos clericos esse contenderit, plerisque tamen requisitis deslitui, quae Speculum saxonum in clero ad successionem in Geradam maternam adspirante exigat. Requirit vero, ut iam supra vidimus, tria imprimis, ut felicet clericus in bona vensilia succedere cupiens sit doctus, ordinatus et capitis tonsura insignitus. Iam quod doctrinam attiner, quamvis ea et Protestantium Canonici praediti esse debeant, soleatque hodie plerumque in iis prasumi, si triennium in Academia quadam transegerint, et huius rite transacti fidem testimonio Academiae publico fecerint, reliqua tamen requisita scilicet ordinatio et capitis tonsura, cum, quod supra probauimus, ordines nunquam recipere teneantur, plane in iis deficiunt. Quemadmodum autem, ut infra demonstrabimus, sententiae nostrae non obflat, quod etiam Canonici Protestantium ex quorundam capitulorum statutis ad ordines pecunia redimendos obstricti sint, ita eidem non aduersatur, quod sacerdotes Augustanae confessionis sacris additi, quamvis ordinatione ea, quam ius prouinciale saxonum supponit, instituta quippe secundum romanae ecclesiae principia, iniciati non sint, tamen ad successionem in bona matris vensilia hodie admittantur. Hi enim eti capitis tonsura et ordinatione iure pontificio praescripta et careant, et, cum superstitionem sapiat, carere debeant, tamen ordinatione secundum ecclesiae euangelicae normam peracta rite constituti, potestatem verbum diuinum publice docendi et sacramenta administrandi nati suat, meritoque igitur priuilegiis clericorum ordinis induit, et in his etiam eo, de quo sermo est, fruuntur. Cum his vero Canonici Protestantium ordinatione plane destituti, nullo pacto possunt conferri, adeoque ab illis ad hos non fieri potest argumentatio. Maneat itaque hoc: Canonicos Protestantium sacris additos requisitis illis, quibus clericos in Geradam maternam succedere volentes, praeditos esse oportet, plane carere, neque adeo idoneam rationem adesse, que iuris prouincialis saxonici de clericorum in res vensiles succedendi iure sanctionem ad illos extenderet suadeat.

§. V.

§. V.

In eandem sententiam Scabinatum Lipsiensem respondisse ostenditur.

Ceterum eadem, quam iam proposuimus, ratione iam olim, Scabini Lipsienses in Responso M. Decembri 1674. dato, vñ sunt, quod eum nondum publici juris factum sit, adieciſſe, haud p̄igebit. Cum nempe quidam Hanns Heinrich de Kötschau, ecclesiae cathedralis Numburgensis capitularis, ex illis quaesiuerat, an, si forte donatio rerum vtensilium ipsi a matre facta, quam quippe proximae eius cognatae variis de cauſis impugnauerant, irrita atque inualida iudicaretur, clericorum priuilegio vti er in Geradam maternam iure proprio succedere possit, ei hoc ius denegarunt atque ita responderunt:

Obwohl vermöge der Sächſischen Rechte die Clerici der mütterlichen Gerade fähig seyn, und nebst denen Schwestern gleichen Theil davon nehmen, dahero Ihr in den Gedanken begriffen, daß Euch als einem Canonico des hohen Stifts Naumburg auch ohne ermelte Donationes Eurer Mutter Gerade gebüthre;

Dieweil aber dennoch unter denen Clericis blos diejenigen so geweihte Priester sein, zu verstehen, dergleichen von denen Canonici nicht zu sagen; So habt Ihr auch als ein Canonicus des hohen Stifts Naumburg Euch eurer Mutter verlaſſenen Gerade nicht anzumaſſen. V. R. W.

§. VI.

Argumenta sententiae contrariae recensentur et diluuntur.

Expositis iam rationibus, quibus moti Canonicos Protestantium successionis in Geradam maternam exules esse statuimus, iuuat nunc argumenta, quibus contrariae sententiae tuenda causa b. HOM MELIVS l. c. vñus est, recensere ac pro instituti nostri ratione breuiter excutere. Prima autem ratio, in qua praecipuum sententiae suar robur ponit, eo reddit, vt contendat, Canonicos Augustanae confessioni addic̄tos iure inter clericos referri. Quamuis enim non ordinentur, tamen in multis ecclesiarum capitulis esse receptum, vt prelio quodam soluto ordines redimant, quid? quod ne ipſos sacerdotes Protestantium quidem tonsura esse insignitos.

Habet sane haec ratio tantam probabilitatis speciem, ut adeo IUST.
HENNING. BOEHMERVM et IOH. LAVR. FLEISCHERVM,
nostrae sententiae alias fauentes, dubios atque haesitantes reddide-
rit; sed, quod pace tantorum virorum dixerim, facile ei potest re-
sponderi. Ac primum quidem ipse b. HOMMELIVS nobis largi-
tur, in multis non autem in omnibus Protestantium capitulis ordi-
nes pecunia redimi. Quod si ita se haberet, est proposito hoc argu-
mentum ex eorum numero, quae minus, quam debent, probant,
eoque, opinor, nihil aliud efficitur, nisi hoc, Canonicos quidem
earum ecclesiarum, in quibus mos ille obtinet, non autem reliqua-
rum, in quibus non seruatur, clericis esse aequiparandos. Acce-
dit, quod illa ordinum redemptio, sive ius pontificium, sive ecclae-
siasticum Protestantium species, omni plane effectu caret; ex illius
enim principiis atrocissimae adeo simoniae reus habetur, qui ordi-
nes pecunia soluta vel vendit vel recipit; hoc vero omnem illam iu-
ris canonici de diversis ordinibus doctrinam respuit, ac vnam tan-
tum ordinationem probat, quam nemini, nisi munieris sacri obeundi
caussa impetrare permittit. Denique si quam vim haberet ordinum
illa redemptio, nullam sane aliam habere posset, nisi hanc, quod
ordines per eam sicut suscipierentur. Verum enim vero talis fieta or-
dinum receptio ad consequendum ius in res vteſiles succedendi hic
non sufficit. Cum enim haec succedendi ratio contra iuris commu-
nis normam inuenta sit, adeoque strictissimam tantum interpretatio-
nem admittat, ius prouinciale saxonicum autem, vt, qui hoc suc-
cedendi iure vti velit, vere ordinis receperit, diferte requirat, vim
proposito legi inferunt, qui eius verba ultra literam extendi posse
existimant. Ceterum obiectio, ne Protestantium quidem facher-
doles tonsura esse insignitos, cum ei iam §. IV. responderimus, non
est quod diutius immoremur.

Vrget praeterea b. HOMMELIVS Canonicos Protestantium
in literis publicis *Würdige* a Principe compellari, indeque eos cle-
ricos esse colligit. Verum quam fallax hoc argumentum sit, quilibet,
nobis vel tacentibus, intelligat necesse est. Solent enim, vt
notissimum est, curiae Principum et dictionem semel receptam et
honorum titulos, quibus ab antiquissimis inde temporibus, ad quos
rescribunt, compellare confueuerunt, retinere, quamvis hodie
plane alia et temporum et rerum sit facies. Sic vt e multis dome-
stico

stico exemplo utar, suprema Curia provincialis, quae Lipsiae ius dicit, Principis consiliarios ciuici ordinis, sive literati, sive mercatores sint, compellare solet: *Hochgelahrte*, haud dubie ideo, quod pristinis temporibus consiliarii dignitas plerumque literatis tantum contingere solebat. Iam si quis inde colligere vellet, omnes Principis consiliarios literatorum conditione et iuribus vii, nac is egregie falleretur. Quodsi itaque Canonici Augustanae confessionis addidit *Reuerendorum* nomine in literis publicis condecorantur, inde nou recte concludi potest, eos hodie adhuc clericos esse, multo minus eos Geradam capere posse, sed causa huius denominationis in veterum temporum ratione quaerenda est, ex qua ideo hoc nomine ornabantur, quod nemo ex iuris pontifici placitis, nisi clericus esset, in Canonicorum collegium recipi posset. Additur porro contrariae sententiae firmandae causa et hoc: Canonicos scilicet aequa cœditios et ludimoderatores ideo non res expeditorias relinquere, quoniam Geradae sunt capaces, quid? quod adeo organoedos, cum per Rescriptum d. d. 12. Nov. 1700. in Saxonie clericis annumerantur, Geradam cum sorore diuidere; cc) hos vero aequa ac Canonicos nunquam ordinatione opus habere. Sed quod prius attinet, petunt sane, qui ita argumentantur, principium, cupiunt nimurum rem nondum expeditam per aequa incerta probare. Quemadmodum enim nondum certo constat, utrum Canonici Protestantum in res vienfiles succedant, nec ne; ita nec expeditum est, an aeditui et ludimoderatores hoc iure vtantur. Quamvis enim, qui ita statuant, ne temere sententiam suam amplexi videantur, BERGERO dd) testimonium denunciant, tamen res nondum plane extra dubitationem est posta, cum non desint alii, veluti BÖHMERVS ee) qui aduersae sententiae adstipulentur, et aeditiuos aequa ac ludimoderatores successionis in bona vienfilia materna exsortes esse iure statuant. Ut taceam, hanc totam controuersiam non interpretum auctoritatibus, sed legum rationibus, quae contrariae sententiae parum fauent, esse definitiendam. Quod denique Rescriptum supra laudatum attinet, id profecto parum accurate in contrarias partes trahitur. Nam in toto hoc

Rescri-

cc) extat hoc Rescriptum in Cod.
Aug. Tom. I. p. 867. et in Corp. iur.
eccl. saxon. an. 1773. editio. p. 444.

dd) in Respons. P. II. Suppliem.

Cent. 3. conf. 55. p. 1486.

ee) in Lure ecclesiastico Prostef.
Tom. II. Lib. III. Tit. XXVII. §. 23.

Rescripto, quod tum ecclesiae et scholarum ministri, tunc nondum a Consistorio confirmati, iubentur confirmationem petere, tum omnino legum ecclesiasticarum obseruatio haec tenus neglecta, denuo inculcatur, praeter verba statim sub initium Rescripti occurrentia^{ff)} nihil reperitur, quod contrariae sententiae faueat. Neque illa verba ad privilegium solis clericis ordinatis competens in organoedos transferendum sufficiunt, nullibi enim dicuntur organoedi et aeditui omnibus omnino clericorum priuilegiis vti; comprehenduntur quidem sub nomine ministrorum ecclesiae et scholarum, sed nulla alia de cauſa, quam quoniā in laudato Rescripto de confirmatione muneris demandati, a Consistorio petenda, sermo est, quam hi seque ac illi impetrare tenentur. Ac si denique vel maxime verum esset organoedos vi dictae legis aequis iuribus et priuilegiis cum clericis gaudere, quid? quod eos adeo in Geradam succedere posse, inde tamen nondum sequeretur, Canonicos, qui neque ordinati neque a Consistorio confirmati sunt, eodem iure vti. Cum enim successio clericorum in res matris vtensiles priuilegio nitatur, omnia autem priuilegia strictissimae interpretationis sint, neutiquam ab organoedis ad Canonicos fieri potest argumentatio.

§. VII.

Canonicos Protestantum in res expeditorias succedere posse afferit.

Quamuis vero, quemadmodum hucusque evincere studuimus, Canonici Protestantum successionis in res vtensiles maternas exules habendi sint, nulla tamen adest ratio, quae nos, quo minus eos cum FLEISCHERO^{ss)} et IENICHENIO^{hh)} ad successionem in res expeditorias admittamus, impeditat. Quodsi enim ius singulare succedendi in Geradam maternam, quo clerici vruntur, Canonicis illis non competit, iure saxonico communi, quo omnes masculi, clericali conditione hanc videntes, in res expeditorias succedunt, fruatur necesse est, adeoque non dubium videtur, quin res expeditorias proximi agnati et capiant, et easdem huic relinquant.

HVMA-

ff) Verba rescripti ad quae b. Hommelius respicere videntur, sunt haec: Wir werden glaubwürdig berichten, wie daß unterschiedene Kirchen und Schuldienner, darunter nicht weniger die Organisten und Kirchner oder Glöckner gehören, beydes in Städten und Dör-

fern, sich niemahls oder wenn sie schon eine gute Zeit im Amt getrieben bey unsern Ober-Consistorio zur Confirmation präsentiren lassen. etc.

gg) loco supra laudato.

hh) in Diff. cit. §. VIII. p. 15.

HUMANISSIMO DOCTISSIMOQVE
IOANNI CAROLO FALCKIO
S. P. D.
D. CHRISTIANVS FRIDERICVS
POHL.

*Qui per magnam semper laetitiae voluptatem percipere soleo, quoties
quis, quos amo atque colo, studii mei significandi opportunitas mihi da-
tur, idem ego vehementer laetatus sum, cum TV, cui ab eo inde tem-
pore, ex quo mihi innotuisti, ob praeclaras ingenii animique virtutes
bene cupii, mihi ante aliquod tempus significasse, TE, exacto felici-
ter vitae academicae curriculo, disputationis habenda causa, a me
in cathedram perduci velle. Vti enim hui voluntati TVAE morem
gerendo suauem ac diu exoptatam occasionem meae in TE beniuolen-
tiae palam declarandae oblatam mihi deprehendi, ita simul de fiducia,
quam in me meisque qualibuscunque studiis collocaisti, impense gauisus*

C

sum.

sum. Trado itaque tutelae **TVAE**, quem hoc consilio conscripti,
exiguum libellum, eumque tanto libentius **TIBI** committo, quo cer-
tius mente iam praecipio, TE ei fortem ac strenuam defensionem esse
paraturam. Quemadmodum autem et **TIBI** et **PARENTIBVS**
TVIS AMPLISSIMIS hodiernum diem **TVVM** sincere gratu-
tor, atque laeta futurae **TVAE** felicitatis omnia ex eo capio, ita ut
TIBI assiduitatis et in discenda iurisprudentia diligentiae praemia am-
plissima mox contingant, ... animo precor atque opto. Quod superest,
velim **TIBI** persuadeas, meum in TE studium nuno ~~omnium~~ tempore
debilitatum aut plane deletum iri, meque nihil ardenter cupere,
quam ut, quod hucusque fecisti, etiam in posterum me amare pergas.

Scripsi Lipsiae a. d. VI. Nov. an. MDCCCLXXXV.

Leipzig, Diss., 1785 p. 2

X 241 7854



DE

CANONICIS PROTESTANTIVM
SVCCESIONIS IN RES VTENSILES
MATERNAS EXSORTIBVS.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO FRIDERICO
POHLIO

S V P R E M A E C V R I A E E T C O N S I S T O R I I E C C L E S .
A D V O C A T O , C I V I T A T I S L I P S .
S E N A T O R E

A. D. VIII. NOVEMBER. A. O. R. M D C C L X X X V .

H. L. Q. C.

D I S P V T A B I T

IOANNES CAROLVS FALCKE,
LIPSIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.